

ADAM TERDIE GERECHTIGKEIT  
 DIE ERD GILT BEWEISEN DEN DAS ER SIND VERGIBLICH ROE  
 CHRISTUS IST UNS ERGEBEN IN  
 EINEN GNADENSUWIRKUNGEN GLAUBEN IN SEINEM BI





80  
100  
H

C. 2. 75

II 2 c. ~~32~~ 4


2 N. 33.













A P O B A T H P I O N

AD ACADEMIAM  
ROSTOCHIENSEM

IOANNIS CYRIACI

L. BARONIS IN POLHAIM

ET VVARTENBURG &c. QVO IN PA-

*triam abiturus Dominis Professo-*

*ribus, Præceptoribus suis aman-*

*tissimis valedicit.*



ANNO M. D. LXXVII

V. Non: Octobris.

878

ROSTOCHII

*Excudebat Iacobus Lucius*

*Transylvanus.*



A T O P A T H T O N

A D A C A D E M I A M  
R O S T O C H I E N S E M

J O H A N N I S C Y R I A C I  
A C A D E M I A S I N P O L I A M  
P R O F E S S O R I S  
D O C T O R I S P R O F E S S O R I S

A N N O M D C L X X V I  
N O N O C T O B R I S

R O S T O C H I I  
E r u d i t J a c o b u s L u c i u s  
P r o f e s s o r

257





ΑΓΟΒΑΤΗΡΙΟΝ  
AD ACADEMIAM ROSTO  
CHIENSEM IOHANNIS CYRIACI  
L. BARONIS IN POLHAIM ET VVAR-  
TENBURG &c.



Nclyta victricis miramur premia pal-  
ma,  
Romuleos fasces, & scepra potentia Re-  
gum,  
Belligeras chlamydes, gemmis auroq; rigentes  
Vittas, atq; aula fastum, pompasq; superbas:  
Immorimurq; auro, vite spes omnis in auro est.  
Verum Pierios latices, montemq; bicornem,  
Flexibiles hederas, & vatium insignia lauros,  
Aetheriasq; Artes, donum caeleste Promethèi,  
Pauci mirantur: quibus est caelestis origo,  
Diuinusq; vigor superas sublatus in auras  
Despicit excelsa longè mortalia mente.

Hinc cui nosse datum, quæ sit sapientia vera,  
Quòdq; bonum atq; decens, vulgo secernitur, & se  
Numine ab aeterno, non ad mortalia, natum  
Colligit: & cæli quæ sola ad sidera ducunt,  
Cælestes Artes animo admiratur: in ipsis



Doctrina atq; boni fontem Et se nosse laborat.

Vos Heliconiadum clarissima lumina montis,  
Eulgore auricomo doctum irradiantia V arnum,  
Vos compello, pias meditando hoc carmine grates,  
Omnia dum memori sub pectore circumuoluo:  
Quæ mihi, vobiscum dum vivo sedulus, omnes  
Vera bona, atq; auro Et viridi potiora smaragdo  
Donastis: quæ nulla dies, nulla eximet etas.

At licet auerfer vesani pocula Bacchi:  
Pocula sunt liquidi fontes, sapidaq; sororum  
Thespiadum lymphæ: Diuis ut sobria vatum  
Turba Aganippæis fontes lymphasq; sagaces  
Asscribit: tamen haud tantum Permessidos undæ,  
Tantis sufficiens meritis Et laudibus, hausi.  
Ardua res Musas doctis laudare Camænis.

Sed me pro meritis conantem dicere grates:  
Conor opus quamuis etati Et viribus impar:  
Excusat pietas; urget pulcherrima virtus,  
Ex geminis unita sororibus: ore fatetur  
Altera veraci benefacta, sed altera reddit.

Adsis læta Trias, nullo velamine cincta,  
O festiua Trias, non ullis obsita rugis,  
Montis ab Orchomeni depictis saltibus adsis.

Vos



Vos estis Charites quibus oblectatio sola est,  
Pectoribus latis semper fecisse benignè,  
Et si quid factum semper meminisse benignè.

Prima DEO pura debetur gratia mente,  
Auctori rerum: radiis cœlestibus Artes  
Mentibus inspersit nostris, Artesq; propagat.  
Ordine proponi quas vult, atq; ordine disci  
Ordinis ipse Deus. Musas Musisq; dicatos  
Conseruat: cœtumq; hominum collegit, Olympi  
Hæredum, è variis, ceu iam tum colligit, oris:  
Cui sua saluifici præsens mysteria verbi,  
Et famulas verbi sacras concredidit Artes.

Hic quoq; sub Mundi finem, Bonitate paterna,  
Cum vera Pietate bonas disseminat Artes:  
Phœbeamq; Rhodon gelidas fundauit ad Arctos,  
Balthica spumofus quæ currit in æquora Varnus.  
Soli prima Deo sit laus, sit gloria prima.

Altera debetur merita tibi gratia laude:  
HERVLEÆ genus egregium, & stirps inclyta gentis,  
Progenies Regum, cœlos quæ laudibus implet.  
Tuq; adeo lumen Maiorum illustre tuorum  
Dux VLRICE, pater patriæ, pater ipse Dearum,  
Aonidum, Roseiq; parens venerande Lycei:

A 3

Musa



Musarum cor, vita, iubar formosius auro.  
Quodq<sup>3</sup> faues Musis, expers tua fama sepulchri, (plet.  
Cuncta per ora virum volat, & magnum aethera com-  
Tertia pars gratæ laudis tibi sancte SENATUS  
Debetur. Siquidem Musas Christumq<sup>3</sup> fouetis.  
Vrbis præsidium Musæ, tutamen Apollo,  
Cum Musis habitat Christus, spes una salutis.  
Felix qui Christo & Musis præsepe ministrat.  
Præterea memori reddam cui pectore grates,  
O illustre Rosis, ò Cycnis dulce ROSETVM?  
Me non veris honor viola, non Indica messis,  
Poma nec Alcinoi solo saturantia odore,  
Cypria nec myrtus, spirans nec posset amomum,  
Idaliaq<sup>3</sup> rosa, tali perfundere odore:  
Qualem inspirasti cupido mihi suauæ Rosetum.  
Et vos aëria volucres, mea magna voluptas,  
Carminibus demulsistis me dulcibus, hinc vos  
Carminibus, si possem, terras diffundere in omnes  
Tentarem, & vestrum cedris incidere nomen.  
Blandifono Christum Musasq<sup>3</sup> melismate Cycni  
Pegaseum ad varnum cælo deducitis alto.  
Vos modò dum vestrum quemuis appello, benignis  
Oro fauete animis, placidasq<sup>3</sup> aduertite mentes.

Non



Non hic ingenium, verum est spectanda voluntas.  
Te CHYTRAEE pio semper venerabor amore,  
O decus eximium Christi, flos ipse Rosarum.  
Splendida lux patriæ es, culti lux splendida varni,  
Artium inexhaustus fons, virtutumq; corona.  
Care bonis & care Deo. quot splendida fulgent  
Ingenii monumenta tui? quis nescit in ipsis  
Cum Christo Charites, Artes, Musasq; sorores,  
Abluere imbutas cælesti nectare palmas?  
Cum pandis Christum, redolent myrothecia cæli  
Omnia, nectareoq; fluunt pia verba liquore.  
Cum dulci historias polyistor voce retexis,  
Temporibus cunctisq; locis vixisse videris:  
Ac veluti non lecta tibi sed visa referres,  
Omnia tam plenè tibi sunt & cognita ad unguem.  
Est laudum mea cantatrix aterna tuarum,  
Patria: magnanimiq; tum super aethera tollunt  
Nomen Taurisci, quibus exoptantibus Artes,  
Et Christum adduxti columnen vitæq; salutem.  
Consiliisq; tuis Academia nuper aperta,  
Ad cælum æternis, meritum te, laudibus effert,  
Nomen ab illustri sibi quæ deducit IVLO.  
Illo, cui niueus sonipes, pennisq; superbus,

Aurata



Aurata super exultat, ceu Pegasus alter,  
Casside, & alterius felix dator Hippocrenes.  
Ille novum, mox splendebit decus additus astris,  
Quam micat obscurus chara cum coniuge Cepheus.  
Hanc ipsi sedem signavit in æthere summo  
Fax nova, terribilisq<sup>ue</sup>, atq<sup>ue</sup> ingens Astronomum crux.  
Singula quis referet? Doctrina domiq<sup>ue</sup>, forisq<sup>ue</sup>  
Est commune bonum: campis velut utilis imber.  
Hinc tua laus vivit terris, & vivit olympo,  
Arctoe Phoenix nunquam reparabilis ora.  
Atq<sup>ue</sup> etiam meritis tua tot mihi dulcis imago,  
Compater, æternum nostro hoc in pectore vivet.  
Et vos siderei qui sancta Oracula Regis  
Panditis: ad coeli tutum credentibus arcem  
Commonstratis iter, promissa recluditis astra.  
Tuq<sup>ue</sup> SIMON PAULI cœlestis præco, sacrarum  
Tu rerum præses: specula ceu miles ab alta,  
Doctrina insigni & sæcundo flumine lingua,  
Excipis insultus hostis, rabiemq<sup>ue</sup> coërces.  
Consensum verbi moderato corde tueris  
Viivifici, rixas prohibes, pacemq<sup>ue</sup> ministras.  
Lege malos, Orciq<sup>ue</sup> horrendo fulmine terres,  
Aeternaq<sup>ue</sup> pios solaris voce salutis,

Quos



Quos peccasse pudet, patriumq; ostendis Olympum:  
Et lenis oleo mordacis vulnera vini.

Quid te BAC Meistere, quibus te laudibus ornem?  
An placidos mirer gestus, linguamq; disertam?  
Miror utrumq; tuus sum nunc auditor ab anno,  
Quas anima certas hausi vitæq; medelas?  
More Periclaeo mentes trahis, aurea dicta,  
Et nitor & nervi diuino rore rigati,  
Commendant: dictis addit vita optima pondus.  
Nam Pitho in labiis, virtus in pectore regnat.

SCACHTIVS, utiliter doctrina instructus ab  
Et pius inservit templis dociliq; iuventa. (omni,  
Vitaq; labe carens sanctis virtutibus ornat  
Doctrinam, & vires affert & pondera verbis.  
Est insigne decus doctrinam extendere factis.  
Magnificas obiit mecum is Rectoris habenas,  
In quibus enitueret fides, prudentia, candor,  
Sedulitas, pacis studium, gravitasq; paterna.

Sancta redemptoris donec colet agmina Christi  
Mens mea: mente colam grata vos organa Christi.

Vosq; Sacerdotes nunc affor Iuris & Aequi.  
Iustitiam colitis, pravo secernitis æquum,  
Illicitum licito: Legum rectiq; patroni,

B

Præ



Præsidium pacis, fulcrum commune salutis.  
Nam vos confisi valido munimine vocis,  
Spes hominum, vitas, famam, bona, mœnia, fines  
Optatos patriæ, natos, dulcesq; parentes,  
Haud secus ac nixi clypeis ferroq; minaci,  
Servatis calami pulchro, sine sanguine, bello.

Et prudens animo, et dulcis NIEBVRIVS ore,  
Diuinæ carus Themidi, carusq; Minervæ,  
Magnanimoq; Duci VLRICO, celebriq; Roseto:  
Natus ad arma fori, cunctis in rebus agendis  
Dexter, & ambiguas sapienti pectore causas:  
Leges atq; Deum ceu gnoscia fila secutus,  
Decidens: famam clarissimus æquat Olympo.  
Quo RECTORE novos suavis Rosa fundit odores:  
Nec timet autumnus gelidas, munita, pruinas,  
Ventorumq; iras, & brumæ frigora ridet.

Doctrina & scriptis lato memoratus in orbe  
KIRCHOVIVS, Baldo veris se laudibus æquat.  
Ingeniumq; forum miratur, pulpita laudant.  
Sub cuius patrocínio Iouis aurea proles,  
Ultima quæ terras virtutum expulsa reliquit,  
In terras Astræa redit placabilis ultrò.  
Sic callet leges, & servantissimus æqui est.

Opti-



Optime PANCLoui Themidis sincera voluptas,  
Iustitiæ assertor constans, te nulla patrono  
Urna fori insontes turpisue calumnia ludet.  
Ancipites prompta ratione, ut Bartolus alter,  
Tu dirimis causas, & finem litibus affers.  
Tuq; fores aperis iuris, certa q; iuventam  
Ire via monstras, quæ ducit ad ardua iuris  
Culmina: non ullis latet hic ambagibus error.  
Dum ius sacratum uiuet, tua gloria uiuet.  
Eloquii iurisq; decus LVSCOVIVS ingens,  
Doctrina excellens, usu, gravitate, fideq;  
Cui Themis & Pallas destillant aurea dona,  
Notitiam iuris, virtutem, verba diserta.  
Optimus interpres, velut alter Scauola, iuris,  
Sulpicio cuius fandi vis mellea certat.  
Inclytus erudiit pectus Cuiacius, alter.  
Hac precor euadat celebris Cuiacius urbe.  
GRASse decus Legum, antistes doctissime Legum,  
Damnosas nemo poterit componere lites  
Te melius: Crasso certat vis aurea lingua:  
Iura regit pietas, Leges prudentia flectit.  
Fabricium à recto citius quis flecteret auro:  
Aut quem, fraternam cædem excusare negantem.

B 2

Impius



*Impius affecit letho Caracalla nefando:*

*Aut prius indomitis flammis adamantina domares,  
Electeret à Legum recto quam tramite Grassum.*

*Si tantum numerus, quantum sapientia crescit,  
Cresceret annorum, Neliden vinceret annis*

*BORDINGVS: tenero pietatem mater ab avo,  
Ingenuasq; parens artes, ius Gallia, & alnum  
Rostochium docuit, varnus decrevit honores.  
Clarior evades claro Bordinge parente.*

*Admissus teneris Sophia in penetralia ab annis,  
Nunc culta sequitur Themidis CAMerarius arma:  
Tamen bene conveniunt Themidis laus & Sophia laus,  
Limpidus arenti quam fons coniungitur horto.*

*Huic quantum ingenii, tantum concesserit aui  
Si Deus, implebit vivaci sidera laude.*

*Iustitia lumen, patria laus, gloria varni.*

*Vos ego diuini fuero dum iuris alumnus,  
Iustitia & iuris sanctè venerabor alumnos.*

*Sylvicola teneras Dryades conspergite frondes,  
Montinaga flores conspergite Oreades, affer  
Delicias ruris mater pulcherrima florum,  
Elietigena plantas Nympha, facilesq; Napea  
Spargite, quas sylva, montes cum vallibus, amnes*

*Emit-*



*Emittunt varia forma varioq; vigore.*

*Credibile est quod Pelidæ Philyreius Heros  
Herbas monstravit, medicaq; instruxerit arte.*

*Vos ergo Phoebi soboles, Chironis alumni,  
Herbarum abstrusas vires usumq; medendi  
Inuestigatis, lethi morbiq; furores,  
Divina, quis enim dubitet? compescitis arte.*

*Adsis ò Phoebos ante alios dilecte B R V C A E E,  
Artes ipse tibi Medicinae praeses & auctor,  
Iasidæ ut quondam caro, donavit Apollo.  
Phœbigena tantam nunquam tribuere Pelasgi,  
Quantam turba tibi tribuit Phœbëia laudem.  
Quid nunc è coelo delata Mathematica dicam?  
In quibus ingenio coelesti excellis & usu.  
Astrorumq; vias cernis, ceu coelifer Atlas,  
Qui stellas humeris torquet, molemq; gubernat.  
Ipse tuo, patria studiosus, ab ore pependi,  
Cum terra pelagiq; situm formamq; doceres:  
Boeticus ut rebus variè Pomponius olim  
At verbis pressè terræ descripserat orbem.  
Sed te scripta vehent, quæ? scripta simillima priscis,  
Laudibus aeternis sublimem ad culmina cæli.*

*Artis Pœoniae salve laus ardua MEMMI,*

*• B 3*

*Tu*



Tu morbos prohibes, mortis tu spicula differs.  
Nec mirum, medicis reuocat Podalirius herbis  
Hippolytum ex orco, indignè detrusus ad orcum.  
Dum potes hoc, quantum confers mortalibus? auro  
Dignus Lydorum, & Persarum diuite gaza.  
Sed sospes medicum nemo veneratur, acutus  
Cum lecto affixit morbus, cum in limine pendet  
Iam iam vita abitura, nec est spes ulla salutis:  
Aeger opem querit desperatamq; salutem.  
Ille sapit, qui scit venienti occurrere morbo.  
Arte etiam auertis morbos & funera **BATTE.**  
Sic Amythaonius, Medicina fama, Melampus  
Proetidas, implentes falsis mugitibus agros,  
Restituit menti: sic Laomedontius Heros  
Saucius Iasiden laudat: sic aëra purgat  
Hippocrates flamma: sic morbos curat Apollo.  
Nec satis, errantem Lunam Solisq; labores,  
Astrorumq; vias, altaq; indagine cæli  
Inquiris varias in subdita corpora vires:  
Atlas quæ docuit, cecinit crinitus Iopas.  
O munus Diuum, dos aetheris, emula Christi,  
Præsidium vitæ, dulcis nutricula vitæ,  
O Medicina lues mortis, mors ipsa dolorum.

Lata



Lata salutiferis herbis dum rura virebunt,  
Vester inoblito vultus mihi flore virebit.

Nunc ego Pimplæis virides in montibus hortos,  
Elysios campos, & formosissima tempe,  
Picta q̄ Socraticis perlustro floribus arua,  
Vndis mellifluis docti conspersa Platonis,  
Arua Stagiritæ, miris spectanda corollis.

Castalios inter flores nutrite CASELI.  
Purpureisq̄ rosis & purpureis hyacinthis  
Certans, ambrosios exhalas semper odores:  
Versibus arrident Charites, & carmina dictant.  
Carminibus vatum pater oblectatur Homerus,  
Eloquii partem laudis tibi Tullius offert.  
Exin te mirata colit Saturnia tellus,  
Mirificeq̄ tui sincero flagrat amore  
Ille vir, eloquii flos nobilis, inclyta gemma  
Italiae, toto celebris Victorius orbe.

Fœdus amicitia nos inuiolabile, fœdus  
O suave & pulchrum, stabili devinxit amore:  
Quod pro filiolo cœlesti è fonte renato  
Ipse lubens interposui dextramq̄ fidemq̄:  
Quodq̄ mihi docto (sunt ut doctissima, & acri  
Omnia quæ numeris concinnas pumice culta)

Carminè.



*Carmine felicem optasti Reſtoris honorem,  
Omnibus atq; modis fidum teſtatus amorem es.  
Quæ recolam ſemper NATHAN terſiſſime Vates:  
Cuius Muſa Deo ſeruit laudiq; bonorum.  
Ante tibi dictare modos ceſſabit Apollo,  
Quàm tuus è noſtro labetur pectore vultus.  
Salve dulcis olor, ſalve prædulcis Aedon,  
Non te dulcis olor vincit, non dulcis Aedon.*

*CLINGIVS ingenio præſtans, Suadaq; medulla:  
Corda trahit fando, ſylvas ut Thracius Orpheus,  
Ut ſcopulos ducit vates Dircaus acutos.  
Quo doctore vigent Leges, Dialectica nodos  
Difficiles ſolvit, pleno ſe flumine prodit  
Rhetorice, atq; artes caput inter nubila condunt.  
Ille decus patriæ, decus indelebile Varni.*

*Multa voluntatis promptæ mihi ſigna probavit,  
Vir bonus atq; pius, fidei & virtutis avitæ,  
Vtilibus ſcriptis notus POSSELIVS aſtris.  
Quis credat? Pandionias hic condit Athenas;  
Dum iacit Argolicæ dexter fundamina linguæ:  
Autoresq; bonos interpreſes optimus ore  
Explicat Auſonio: ut decertent græca latinis,  
Atq; vno informet linguam mentemq; labore.*

*O verè*



O verè præclarum, ò dignum laude laborem.  
Si geminis homini cælum contingeret alis,  
Stelliferosq; orbes celeri penetrare volatu,  
Alternis vicibus mira **VVARENIVS** arte  
Has, non Dædaleo ritu, contexeret alas.

Certa Mathematicæ tradit præcepta vetusta,  
Fontibus ex vivis, non turpibus hausta lacunis.

Qua sine transigimus stolidam, ceu bellua, vitam,  
Particulamq; luto diuinæ immergimus auræ.

De virtute loqui facile est, virtutibus uti  
Difficile est: utrumq; datum, rarissima virtus,  
Est tibi **PRAETORI**: virtutum semina spargis,  
Innocui illustrent Virtutum semina mores.

Igniculos nobis Natura impressit honesti  
Omnibus, æterno discernens turpia septo  
A Recto, monstrante Deum virtutis amantem,  
Et talem, nobis qualem lex insita pingit.

Has tu Naturæ vitiis & labe sepultas  
Eruis, & veteres renouas in pectore flammæ.

O quantum præstas? ipso dignissima cælo.

Quæ virtute caret, mors est, non vita putanda.

Democrito melius; paruis concrefcere Mundos  
Seminibus varios falsa qui mente putavit,

C

Prin



Principia, & causas quæris GERT nere latentes.  
Non informe chaos, non hæc elementa creata,  
Non tu dissidium rerum genitabile, non quæ  
Corpora discursant vario per inane volatu,  
Sed mentem æternam rerum primordia ponis.  
Tu scrutaris opus magni admirabile Mundi.  
Aurea cur certo atq; equali sidera motu  
Circumuectentur: calum qua parte regyret  
Cunctorum domitorem ignem: qua parte resultent  
Agmina ventorum: cur æquor in orbe reductum  
Ambiat, & rapidis terram non obruat undis.  
Cur media immenso desidens ære tellus  
Pendeat, & nullo nixu fundaminis astet.  
Fœcundamq; vides Neptuni in gurgite prolem,  
Et sobolem magnæ Matris, fœtusq; volantum.  
Aspectusq; animam dulci perfundit odore,  
Inq; creaturis manifesto lumine cernis  
Esse creatorem, qui fecit, quiq; gubernat.

Et mihi nominibus multis coniuncte FREDere  
Testis Musa tua est, pia, suavis, culta, benigna.  
Carmina Cecropio vates decerpis Hymetto,  
Trinacrias volucres nitidis ex floribus Hible,  
Cum fragrante thymo flores beneolentis anethi

Ad car-



Ad carmen perferre puto, sic omnia odore  
Carmina perfundunt grato, mulcentq; legentes.  
Dumq; doces fandi doctrinam, Tullius ipso  
Tybride posthabito varni concedet ad undas.  
Hinc tua laus incisa viget cerealis Hymetti  
Floribus, & crocea crescit cum floribus Hybla.

Discere diuina qui vult mysteria linguae;  
Ut debent omnes, quibus est pia cura salutis:  
Se docto adiungat GONIAEO. tempore longo  
Collegit praecepta, & longa ambage viarum,  
Sedulus audiuit (nunc varni tradit ad amnem)  
Rabbinos, quotquot celebres Germania iactat.  
Hac aetas primaeva patrum, vatumq; corona  
Vsa fuit lingua, sic Biblia sacra loquuntur,  
Sic datur affari semoto interprete Christum.

BOCCATI aetatem teneram informare laboras:  
Nuda cui linguae tradis rudimenta latinae.  
Et quod maius opus, quod sanctius, ipse medullam  
Dogmatis instillas sacri, in caelestibus hortis,  
Omnia delibans prudenter, sedula qualem  
Chytræus congescit apis, purissima mella,  
Atq; decem dulci distendit nectare cellas.  
Illa doces, seruisq; Deo dociliq; iuuenta,



Nam seruire Deo est, docili seruire iuuentæ.  
Progenies Sophiæ, proles dilecta Minervæ,  
Deliciæ Phœbi, Musarum grata voluptas:  
Dum veneror Musas vestri obuersatur imago:  
Dumq; colam Musas vestri succurret imago.

Salve Musarum sedes, & regia Phœbi:  
Incluta virtutum domus, arx cultissima morum:  
Numinis æterni templum: quo pura quiescit  
Relligio, & medius complectitur omnia Christus.  
Cycnis atq; Rosis salve prælustre Lyceum.

Has ergo exiguas magno pro munere grates  
Accipite o cuncti, quos varnus amabile flumen  
Aspicit: exiguum, si mens bona, sæpe probari  
Officium magnis testantur sidera Diuis.  
Sæpe Deo gratus cecidit tener agnus ad aram,  
Nec cuiquam tenuis laudes detraxit auena,  
Vllius haud illo fixæ sunt carmine laudes:  
Sed meritas tantum conata est dicere grates.

Aurea Varniades mihi concessere sorores  
Sceptra: Medusæis mulserunt cantibus aures,  
Nunc etiam applaudunt mellito carmine Cycni.  
Quale nec insonuit Ledæis carmen Amyclis:  
Et nec olorigenæ percepit ripa Caystri:

Et nec



*Et nec ad Eridanum cecinit Sthenelëia' proles.*

*Singula quis dicet? memori quæ mente reservo  
Atq; reseruabo: vos, hoc dum lumina cælo  
Circumuoluentur, nunquam obliuiscar amicos,  
Nec vos absentem unquam obliuiscemini amicum.*

*O fons doctrinæ, Rosei ter maxime Rector  
Vnice, & vne parens conseruatorq; Lycei:  
Hoc illustre decus Megalepolis VDALRICVM,  
Vrbem, templa, scholas, discentes atq; docentes,  
Auxilio defende tuo, dextraque gubernata.  
Vt te concordet æternis laudibus ornent.*

GENEROSO ET ILLVSTRI  
DOMINO IOANNI CYRIACO, LI-  
BERO BARONI IN POLHAIM ET VVAR-  
TENBURG &c. DOMINO SVO CLEMENTI,  
& compatri perpetua obseruantia  
colendo.

EIDYLLION PROPEMPTICVM.



*actenus in Rhodio flos instar sideris hor-  
to  
Emicuit, flos Austriacis primo editus ar-  
uis*

C 3

Polhe-



Polhemiaq<sub>3</sub> domo: dein huc translatus ad undas  
Varnaidum, ut roseo paulatim imbutus odore,  
In patria decus & varios adolesceret usus.  
Quocirca pecori ignotus, nec laesus aratro  
Vilius agricolae, nec carptus floruit ungui.  
Illum praereliquis argentea gemmularoris  
Imbuit ambrosio & calum spirante vigore.  
Illum aura tenues, & nubis filius imber  
Mulcebant placide, firmabant aurea solis  
Lumina. multi illum pueri, pluresq<sub>3</sub> puella  
Suspexere, decus mirati optabile floris  
Tam pulcri, tam flammeoli, tam dulce comantis.  
Hunc circum virides Casias, violamq<sub>3</sub> videres  
Purpuream, phlogionq<sub>3</sub> decens, & Paeonis herbam,  
Lilia nec deerant, nec amaracus, aut amethystus,  
Non lychnis, Charitumq<sub>3</sub> Rosa, mollesq<sub>3</sub> amaranthi.  
Quos inter mirè pulcros pulcerrimus ille  
Enituit, longe ante alios spectabilis unus,  
Quin decus & lumen reliquis dum fata sinebant.  
Nunc, eheu, flos ille sacer, flos aureus ille  
In patrios reuocatur agros, atq<sub>3</sub> aurea tempe  
Austriadum, posthac tolerare absentis amorem  
Quae se posse negant, aut huius sidera floris

Tam



Tam procul à patria nostris concedere septis.  
Ergo hortus nunc varniadum deformior aequo  
Stat lacer & facie miseranda, haud gratia florum  
Quæ fuit ante manet, plantarum germina lugent,  
Omnia sunt solito veluti spoliata nitore.  
Varniades quoq; cum lacrymis hæc carmina flori  
Tam caro postrema canunt; Flos optime florum  
Flos nostri lux & sidus geniale roseti,  
Quo fugis usq; adeo cupido te corde sequentes?  
Tamq; avidas famæq; tuæ, laudisq; sorores?  
Forte refers; quia sic Superi sic fata iubebant.  
Credo equidem, nec falsa fides. sed causa doloris  
Summa hic existit Rodiis & noxia Musis.  
O quanto fuerat satius pro germine talis  
Tam nitido, tamq; aureolo, tantiq; decoris,  
Euelli vrticas, fungos, & inutile gramen,  
Cum lappis, lolio, tribulis, & pestibus horti  
Innumeris aliis? quarum serpiginis instar  
Inficit & reliquos contagio morbida flores.  
Sed tamen interea fati mentisq; tuorum  
Non sumus ignara. tibi quin bona mille precamur,  
I felix quo fata vocant, iterumq; paternis  
Insitus areolis, firmis radicibus hære,

Et sic



*Et sic tolle comas, & germina sic diffunde,  
Ut sis & maneat toto flos aureus aeo.*

G. D. T.

*observantiss.*

*Nathan Chytræus.*

AD GENEROSVM ET ILLV-  
STREM, D. IOHANNEM CYRIA-  
CVM Liberum Baronem in Polhaim  
& Vuartenburg &c.

ODE ΠΡΟΦΕΜΠΤΙΚΗ ΙΟΗΑΝΝΙΣ  
SECCERVITII scripta Rostochij. Anno 1577.  
in profesto D. Michaëlis.



*V*rbes beatas, regnaq; prospera  
Evexit alto culmine, Faustitas:  
Cum Regibus leges, & artes,  
Et Sophia placuere cultus.  
Reges & ipsos plus sapientium,  
Pallas tuetur consiliis virum,  
Armis coruscus quam satelles  
Copia vel rutilantis auri.

*Testis*



Testis sacratos Austria Caesares  
Fœlice partu qua decies tulit  
Opima frugum mater, altum  
Cincta caput viridi racemo.  
Sed tanta non est collibus aureis,  
Argenteo nec gloria flumini:  
Virtute quam Regum superbit,  
Progenieq; virum decora,  
Ornare centum quos iuvat artibus  
Devota Musis pectora, quos decus  
Prædulce morum, quos & oris  
Nestorei decus expoliuit:  
Possint gerendo res benè publicas  
Celsæ nitore ut lumina Curia,  
Et Caesarum laudes, & alma  
Munera iustitiæ tueri.  
Talis vetusti spes nova stemmatis  
Mox enitesces dotibus ingeni,  
Miles novenarum sororum  
Ian Cyriace, decusq; Phæbi.  
Illustre nomen Polhemis domus  
Virtute tolles clarius & tua,  
Subnixus & clemente Christo,

D

Auspi-



Auspicioq<sup>3</sup> Patris supremi.  
Hoc pollicentur varniadum choro  
Dulces Camæna: Et totius hoc chori  
Persentit antistes Chytræus:  
Hoc Themis, Et veneranda Pitho.  
Te Rhenus antè, te coluit suis:  
Elister antris: Nymphaq<sup>3</sup> Leucoris,  
Eia ò mea spes prima laudis,  
Cresce animis generose, dixit.  
Cui non placeres hospes amabilis  
Telluris oræ? quæ schola, qui chorus  
Parnassiiis gaudens puellis  
Non decus hoc peteret venustum?  
Te dulcis ornat cura Modestiae:  
Et ora tincta purpureis rosis  
Te suauitatis flore leto  
Ingenuæ Charites coronant.  
Rectiq<sup>3</sup> mores, Et pietas tuæ  
Magistra vitæ lumine prævio  
Sacri colentem iura Christi  
Dirigit ætherias ad arces,  
Doctis benignus, candidus Et bonis  
Iam nunc fauorem munificum exeris,  
Quo



Quo te colens olim patronum  
Pierium releuabis agmen.  
Hæc mente voluens Varnouius Pater  
Accersit imo gurgite Naiades:  
Cunctisq; sacri qui Roseti  
Prata colunt, ita mæstus inquit.  
His cura ripis, delitiæ & meæ  
Huc usq; vixit Polhemia domus  
Illustre germen: nunc paterni  
Sed reuocat pia cura Leita.  
Isterq; fluctu caruleo tumens  
Latum Vienna qui nemus irrigat  
Clara receptum sede cernet,  
Concilio & procerum decoro:  
Materna vincunt vota: neq; integrum,  
Carum parenti abducere filium,  
Hunc quæ reposcit stirpis altæ,  
Et viduæ columnen senectæ.  
Ergo legentes optima munerum,  
Quæ nostra sacro flore Rosaria,  
Ripa q; fœlices, & albis  
Vnda parit decorata Cygnis.  
Huic lene iam desiderium, & piis



Longum offeramus pignus amoribus:  
Nostri ut memor saepe huc paternis  
Pectora grata reflectat oris.  
Quanquam & virentem nunc repetet prius  
Rhenum, & per urbes Teutoniae inclytas  
Lustrare longo quaeq; cursu  
Experientem animum iuuabit.  
Fors & Chytræi tunc via candidos  
Vultus supremum iunget, & huic vale  
Dicturus, hinc nostros amores,  
Et reditus pia vota pandet.  
Quocunq; perget, quaeue petet loca,  
Illum secundo Numine celites,  
Et Raphaël ductore Christo,  
Et Michaël comitetur altus.

FINIS.





153187

X 2203992

400




KOMPT HER ZV  
 MIR ALLE DIE IHR M V HESSELIG  
 VND BELADEN SEID  
 ICH WILE VCH ERO T ICKEN MA  
 ER AVS GOTIS IDEL  
 HOPET GOTTES

**A.**  
 Joann. p.  
 Meine schiffe  
 hören meine stam  
 me vndi kenne  
 sie vnd sie folgē mir  
 vnd ich gebe ihnen da  
 ewige leben vnd  
 niemand wird  
 sie aus meiner  
 hand reiße.







ΑΓΟΒΑΤΗΡΙΟΝ

AD ACADEMIAM  
ROSTOCHIENSEM

IOANNIS CYRIACI  
L. BARONIS IN POLHAIM  
ET VVARTENBURG &c. QVO IN PA-  
triam abiturus Dominis Professo-  
ribus, Præceptoribus suis aman-  
tissimis valedicit.



ANNO M. D. LXXVII  
V. Non: Octobris.

873

ROSTOCHII

Excudebat Iacobus Lucius  
Transylvanus.

